



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XIII. Idem a Episcopo Lingon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT XIII.

Idem ^a Episcopo Lingon.

Dilectus filius A. Capellanus in nostra presentia constitutus suâ nobis confessione monstravit, quod cum quadam corporis molestiâ gravaretur, ita quod cibi & somni desiderium raptum videretur ab eo, ut comedendi appetitum aliquantum ^b excitaret, equum, ^c quem nutriverat ascendit: qui cum plene non pareret habentis, sed præter sefforis arbitrium suis saltibus lasciviret, ipse, ut ejus refrænaret impetum, & frâno vim intulit, equumque calcaribus stimulavit. Cumque fracto frâno equus quasi proprio arbitrio relictus curreret festinanter, quâdam mulier veniens ex obliquo, & infantulum bajulans obviam, in quam equus irruens procul abjecto seffore, puerum prædictum oppressit, & capellanus ipse ex repentino casu vix mortis periculum evitavit: sed ad ultimum convalescens, divina postmodum celebrare ^d non præsumpsit. Quia verò nobis non constitit de præmissis, f. t. per A. f. m. quat. super his inquiras diligentius veritatem, & si rem inveneris taliter processisse, cum idem capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetraverit, nec dederit operam illicitæ rei, non impediâs quominus divina possit officia celebrare.

NOTÆ.

I. ^a **Lingon.**) Ita etiam legitur in tertia collectione sub hoc tit. c. 1. ex qua transcripsi textum hunc. De Lingonienſi Ecclesia egi in cap. 8. de rescript.

^b **Excitaret.**) Scilicet ut crudelitatem decoqueret, famemque cibi sepultam excitaret; nam etiam veteres motandi corporis gratiâ spatiabantur, & equitabant. Sidonius lib. 2. epist. 9. ibi: *Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibus cœnatoria famis excueremus.* Et famem iis gestationibus exonerabant. Plinius lib. 5. cap. 36. Unde inter gestationis species, equitationem numerant Acrius Medicus lib. 3. cap. 6. Cælius Aurelianus lib. 5. chronica c. 9. Unde in l. *equissimum*, aliâ *sicujus*, §. *fructuarius*, ff. de usufruct. existimat Budeus ad l. *qui sella*, ff. de servit. rustic. gestationem locum esse, in quo sella gestabantur, velequo vecti exercebantur: quam corporis salubritatem vocat Plinius lib. 1. epist. 3. & lib. 2. epist. 17. Hinc gestare, est se equo, aut curru vectum exercere, l. *non est* 7. ff. de manumiss. vindict. Hinc Justinianus in §. *furtum* Institut. de obligat. que ex delict. nasc. ait: *Si quis equum gestandi causâ commodatum sibi longius aliquò duxerit, furtum committit.* Et sanctus Paulinus loquens de duobus cubiculariis Gratiani Imperatoris, ait: *Conscendentes in equos, quasi gratiâ gestandi, civitatem ingressi sunt, & subito præcipitati miseris animas emiserunt.* Illustrat Pancirola lib. 2. var. cap. 55. & 70.

^c **Equum.**) Proprium, & privatum, non circensem, seu ludis publicis destinatum, in quem equitare clericis prohibetur, canon, 24 6. Synodi Trull. ibi: *Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere.*

^d **Celebrare.**) Sed videbatur hoc in casu Dia-

conum irregularem esse, quia vel propter imperitiam, vel propter infirmitatem equi ferocitatem detinere non potuit, quod saltem ex eo constat, quod in specie hujus textus refertur, clericum quadam corporis molestiâ gravari. At sic est, quod secundum juris regulas quotiens quis propter imperitiam, & propter infirmitatem damnum dedit, à culpa immunis non est, ut probat textus in leg. *idem juris* 8. §. *mulionem*, & §. *idem juris est*, ff. ad leg. Aquil. §. *impetu*, Instit. eod. tit. Ergo hoc casu irregularis manebat. Sed verius est, in præsentî casu irregularem non contrahi, quia nullâ sefforis culpâ equus puerum oppressit, quia omnem diligentiam adhibuit, cum ipse necisset equum esse durius oris, aliâ si id noverat, al quod periculum homicidii contraxisset, ut docuerunt Majolus lib. 3. de irregul. cap. 48. §. 3. num. 13. Farinacius in praxi crim. part. 5. quest. 126. num. 25. Molina de justit. disp. 77. num. 7. Gibalinus de irregul. c. 4. regul. 2. consuet. 1. Sed cum in præsentî casu in modo equitandi non peccasset, nec novisset durtiem oris equi, nullam irregularem contraxit. Nec tunc obstat textus in cap. *significasti* 6. hoc tit. ubi in eadem specie, cum præter voluntatem sefforis equus mulierem obviam obrueret, jubet Pontifex clerico penitentiam injungi, et si ipse ignorasset durtiem ipsius equi: igitur quia adhuc eo casu aliqua culpa committitur, & per consequens irregularitas contrahitur. Pro cuius textus conciliatione cum præsentî textu varia adduxerunt repentes in præsentî, quibus ommissis, verius dicendum est juxta supra tradita in cap. de cetero, in eo casu juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam penitentiam injungi, non pro culpa, quæ nulla præcellerat, sed pro ipso facto, & homicidio sequuto: unde cum nulla culpa mortalis præcellisset in præsentî casu, & in alio simili relato in dict. cap. *significasti*, ideo irregularitas non contrahitur.